Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36486
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

fine cum christo. illis quoque tribuentes beneficium qui nunc infreni et male
libertate sua abutentes passim vagantur. et per precipitia corruant
peccatorum. Cum autem tales habuerint sessores iuxta sedentium volun
tatem incipient gubernari. Aliud vero quod ait ut ostenderet in seculis super
venientibus abundantes divitias gratie sue in bonitate super nos in christo ihesu.
ad illam intellegentiam transfertur. quod non sumus merito nostro sed gratia eius
salvati. et maioris bonitatis indicium sit pro peccatoribus magis quam
pro iustis mori. Pro bono enim forsitan quis audeat mori. et datu
rus nobis sit quod nec oculus vidit nec auris audivit nec in cor homi
nis ascenderunt. quod omnia ex parte iam dederit in christo ihesu. quia
ss nullum absque christo bonum dici potest. Gratia enim estis salvati per fidem et
hoc non ex vobis. dei enim donum est. non ex operibus ut ne quis glorietur.
Ideo inquit abundantes divitias gratie sue in bonitate in superventu
ris seculis ostensurus est. quia gratia salvi facti estis per fidem non per opera. et
hec ipsa fides non est ex vobis. sed ex eo qui vocavit vos. Hoc autem ideo. ne
forsitan nobis cogitatio occulta subriperet. si per opera nostra salvati non
sumus. certe vel per fidem salvati sumus. et alio genere nostrum est. quod salvati sumus.
Addidit itaque et dixit. fidem quoque ipsam non nostre voluntatis esse sed dei mu
neris. non quo liberum homini tollatur arbitrium et secundum illud apostoli ad
romanos. non sit currentis neque volentis sed miserentis dei. verum quod
arbitrium ipsa libertas deum habeat auctorem et ad illius beneficium cuncta
referantur. cum et iam bonum nos velle ipse permiserit. Hoc autem totum propterea.
ss ne quis glorietur a semetipso et non a deo se esse salvatum. Ipsius enim sumus
factura creati in christo ihesu in operibus bonis quod preparavit deus ut in illis am
bulemus. Reddidit causas quare gratia salvati sumus per fidem et hoc
ipsum non ex vobis sed ex munere dei dicens. ipsius enim factura sumus. hoc est.
quod vivimus quod spiramus quod intellegimus et credere possumus ipsius est.
qui ipse conditor noster est. Et diligenter observa quia non dixerit ipsius
figuratio sumus atque plasmatio sed ipsius factura sumus. Plasmatio quippe
originem de terre limo trahit. factura vero iuxta similitudinem et ima
ginem dei sumpsit exordium. Quod in centesimo quoque octavo decimo psal
mo positum diversa significat. Manus tue fecerunt me et plasmaverunt me.